EPISTOLA MARTINI DE SWAEN, THEOLOGI LOVANIENSIS

AD

DIDACUM (uti se vocat) DE OROPEGA

SIVE

Resolutio brevis difficultatum, &c.



PAucis te convenio, mi Didace, non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, non puerilibus trivialium Scholarum exclamationibus, admirationibus, superfluis interrogationibus, quibus litteræ, libelliq; tui regurgitant, non denique alienæ personæ simulationibus, temerariis accusationibus, falsitatibus, sed simplicis, nudæque veritatis scuto circumdatus. Paucis, inquam, te convenio, mi Didace, ne *horas* (uti scribis) *melioribus studiis debitas*, infundatis, falsisque tuis criminationibus refellendis inutiliter impendam.

Resolutionem itaque à me deposcis difficultatum nuper à te propositarum. En eam tibi perbrevem.

Difficultates illæ triplicis potissimum sunt generis. Primum jus, sive doctrinam, secundùm, factum aliquod, seu verbum potius ab Eruditissimo D. Melis (uti tu quidem narras) imprudentius, aut animosius prolatum. Denique tertium concernit personas Approbatorum Epistolæ meæ Illustrissimo Archi-episcopo Sebasteno nuper inscriptæ.

Singulas ordine, maturèque trutinemus, exordium sumentes à prima.

Circa primum, id est, circa doctrinam meam ais te non intelligere, quî sententia mea circa materiam de Gratia & Libero arbitrio eadem non sit cum illa, quam SS. PP. Innocent. X. & Alexand. VII. per suas constitutiones damnavêre. Quin & alibi apertè asseris eandem esse doctrinam meam cum damnata ab illis Pontificibus. Quamobrem & iis me annumeratum voluisti, de quibus puerili hoc epiphonemate insultas: *Equidem Jansenistas eos esse inficiari nequeo, ut velim maximè; adeò mihi vim infero, ut vel de adversariis meis sentiam quam optimè.* Sed unde, amabo, mi Pater, hæc tam sinistra de me opinio? Ex quibus Thesibus? Ex quibus Lectionibus? Ex quibus Dictatis? Ex quibus, iisque quam plurimis Concionibus? Denique ex quibus familiaribus meis colloquiis Doctrina hæc damnata est desumpta? Utique ex nullis, hucusque saltem allatis, & (ut fidenter assero) numquam allegandis.

Paucis, quænam hæc doctrina, quam à me teneri & à SS. PP. damnatam asseris? An fortè quod doceam gratiam per se efficacem, eamque cum Thomistis vo-

cem & esse censeam physicam præmotionem? An, quod illam ad singulas actiones undequaque bonas requiram? An quod veras admittam Christi gratias, quibus verè & actualiter resistatur? An quia præter gratias sufficientes, ad *posse* quoddam propinquum, requiram insuper gratiam à se, vel ex Deo ipso efficacem, quâ mediante illud *posse* reducatur in actum, sive quâ mediante benè homo *operetur*? An quod doceam gratiam semper habere eum effectum, ad quem obtinendum absolutâ voluntate Dei datur? Denique, an, quia in libero arbitrio sub gratiâ per se efficaci constituto Libertatem admitto, quæ includat hæc tria; indifferentiam scilicet objectivam Judicii ex parte intellectus, & duo ex parte voluntatis; nempè immunitatem à coactione, & à necessaria determinatione ad unum? Sive, ut verbis Goneti utar, spontaneitatem, & simul actualem voluntatis indifferentiam, seu potentiam ad oppositum?

Scio equidem hæc ferè omnia à te doctrinis Jansenii esse annumerata in difficultatibus tuis; sed quomodò ea à Pontificibus Innoc. X. & Alexand. VII. damnata esse evinces, cum nihil sit certius, quàm eam esse ipsissimam Scholæ S. Thomæ doctrinam, cujus Professores tu ipse *probè, & Religiosè Catholicos* vocas; quorumque doctrinam planè intactam se reliquisse Innocentius X. verbis formalibus contestatus est?

Undè igitur difficultates, mi Pater, quas tibi fabricasti circa doctrinam meam in materia de gratia & libero arbitrio in Epistolâ mea expressam? Dicam, quod res est. Noluisti credere à me hac in parte teneri, id quod reverà me tenere simpliciter asserui, econtra voluisti credere à me teneri, quod eâdem simplicitate à me non teneri profiteor. Noluisti, inquam, credere, me circa doctrinam de gratia & libero arbitrio, hoc in statu naturæ lapsæ eadem planè sentire cum Schola Thomistica, quod tamen professus sum, & non uno argumento facilè demonstravero: credidisti verò econtrà me per omnia eâdem in materiâ concinere Jansenio, quod planè nego.

Ex hoc igitur processit concepto semel præjudicio Systhema illud gratiæ per se efficacis, quod mihi attribuis, & pag. 14. & 15. exprimis in hæc verba:

„Homo juxta te gratiâ efficaci destitutus, privatus originali justitia, concupiscentiæ pondere in peccatum trahente, nisi major cælestis delectatio accesserit, „vires præbente concupiscentiâ fortiores, subcumbat necesse est. Et contra si in„deliberata gratiæ delectatio, vel unico gradu delectatione indeliberatâ concupiscentiæ sit intensior, infallibiliter & necessariò concupiscentia vincitur, homo „rapitur ad cælestia, juxta illud Augustini à Jansenio, & vobis perperam intelle„ctum, *quod magis delectat, secundum id operemur, necesse est.*

„Hinc manifestæ falsitatis convincitur, quod ais pag. 2. tuam gratiam esse „eandem cum physicâ Thomistarum prædeterminatione, *quâ fit, ut homo ad suam „actionem infallibiliter se determinet, non ex necessitate, sed juxta suum proprium mo„dum omnimoda libertatis.* Verba quidem hæc sunt Thomistarum, sed non nisi fal„laciter, ut ostendi, & sensu prorsùs alieno à te usurpata. Ubi enim delectatio „gratiæ major est, cum hæc præstet robur, seu vires animæ, quæ verè se tenent „ex parte actus primi, neque possit cum tali delectatione indeliberatâ, seu gratiæ „adjutorio in his circumstantiis componi actus omissio, adeoque sequatur actus

„neces-

„ necessariò, non potest non esse necessitas antecedens, quod in sententia Thomi-
„ starum facilius evitatur.

Intelligo secundum te, mi Pater, in eo situs est potissimùm meus circà gratiam efficacem error, 1. quod gratiam illam constituam in indeliberatâ ejusdem delectatione, ex qua actus sequatur necessariò. 2. Quod proinde admittere cogat in libero arbitrio sub gratia per se efficaci constituto necessitatem antecedentem, quæ veram destruat libertatem. Denique 3. quod malè intelligam illud S. Augustini: *Quod magis delectat, secundum id operemur, necesse est.*

Ast, quam bellè hìc confirmas, mi Pater, quod paulò suprà memoravi, videlicet, quod credas à me teneri, quod non teneo!

Siquidem asseris, me gratiam à se efficacem constituere in indeliberatâ gratiæ delectatione, *quâ homo rapitur ad cælestia*; quæque actum producit necessitate antecedente; id quod ego nullus doceo, aut teneo.

E contrà verò negas me tenere, quod tamen verè teneo; videlicet Physicam illam prædeterminationem, quam ex Thomæ Lemos Panoplia, lib. 4. part. 2. tract. 4. c. 12. descriptam epistolæ meæ inserueram, & *quâ fit*, juxta PP. Prædicatores & Carmelitas Discalceatos in ipsorum respectivè comitiis Provincialibus Annis 1668. & 1685. celebratis, *quâ fit*, inquam, *ut homo ad suam actionem infallibiliter se determinet, non ex necessitate, sed juxta suum proprium modum omnimodæ Libertatis.*

Mirarer equidem, mi Pater, si mirum videretur cuipiam, toties te ita, uti jam dictum est, animo compositum, Expositionem doctrinæ meæ in Epistola ad Illust. Archi-Ep. Sebastenum, candidissimè & manifestissimè delineatam, fraudis, dissimulationis æquivocationis, & si quid aliud est his simile, refertam non semel proclamasse.

Sic, Verbi Causâ, mirari nemini subit, quod Orthodoxi tempore Constantii Imperatoris Fidei expositiones ab Arianis concinnatas, & errorem circa Christi Divinitatem Orthodoxæ Fidei è diametro repugnantem, ab iisque nunquam retractatum continentes, de æquivocationibus aliisque dolis suspectas habuerint.

Similiter mirabitur nemo, si sub verbis Prætensè-Reformatorum, fidem ipsorum circà mysterium Eucharistiæ exprimentibus, modosque loquendi, quibus utuntur Catholici circà idem mysterium, concinnissimè licet imitantibus, errorem Calvini delitescere suspicentur, atque ad illum cuncta ipsorum dicta detorqueant, donec aliundè constet ipsos à præfato illo errore recessisse.

Verùm nihil hæc in rem tuam, mi Pater, utpotè, qui nullam hæresim meam nosti, ad quam Doctrinæ meæ sincerissimam expositionem Epistolæ sæpius-memoratæ insertam detorqueres.

Nam quod de tuâ illâ delectatione gratiæ indeliberatâ me[illegible] mihique affingere pag. 14. & 15. voluisti, mirum! quam hoc parum te fundatum tuâ in accusatione demonstret. Saltem in re tam momentosâ, utpotè in qua summa rei, sive erroris mei juxta te considebat, locum aliquem vel Epistolæ, vel Thesium, vel concionum, vel prælectionum mearum à te, qui tam exactè Jansenium citare nosti, opportuerat assignari, in quo errorem illum adeò tibi invisum directè, vel ut minimum indirectè tradidissem.

Quid

Quid igitur judicaturos putes, mi Pater, lectores hujusce Epistolæ, ubi non tantùm intelligent, nullum ea te vel ex scriptis, vel ex dictis meis stabiliendæ assertioni tuæ locum adduci; imò (quod securè affirmo) nec imposterum adduci posse, verùm contradictorium potius istius à me publicis in Thesibus jam dudum traditum esse, utpote in quibus professus sum, nullatenùs me gratiam per se efficacem in delectatione indeliberatâ collocare?

Sed fortè, quia cum adamato tuo Cranebergio me Pseudo-Augustini discipulis annumerare placuit, voluisti, non alia me ex libro Jansenii sensa haurire potuisse, quam quæ tu illi propria esse arbitraris?

Concidat igitur necesse est infundata tua hæc suspicio, ac proinde superextructa eidem circa doctrinam de gratia efficaci à te superius mihi imputatam accusatio, si asseram, probemque, me hactenùs ne vel ullum Jansenii librum *de gratia Christi Salvatoris* legisse; imò nec hodie, me authorem illum legere, aut mentem habere illum brevi legendi, nisi vel superioris mandatum, vel rerum, temporumvè circumstantiæ aliud exigere visa fuerint.

Et ne hîc subterfugia à me quæri denuò jactites, assero sincerè, citraque omnem mentis restrictionem (à qua Schola Lovaniensis abhorret) me exceptâ historiâ Jansenii de Hæresi Pelagianâ, ne vel unum librum ejusdem Authoris circa præsentes Controversias legisse.

Ast quid si libros Jansenii *de gratiâ Christi Salvatoris* studiosissimè legissem? Quid, si sententias ipsius exactè ad normam doctrinæ Scholarum Lovaniensis, Thomisticæ, Augustinianæ, aliarumque Catholicarum examinassem, num ideò integrum tibi foret concludere, in omnibus me Jansenio concinere? Minimè. Nisi fortè teipsum Jansenio per omnia consentire censeri velis, qui tam exactè ipsius scrutatorem te venditas, vel temerarius videri, qui nimis leviter credidisti, ea ab Authore illo tradi, quæ licet non lecta, à te & ab aliis illi imputantur.

Ad me quod attinet: jam pridem declaravi nihil à me in authore illo, quem (uti jam dixi) numquam legi, vel probatum esse umquam, vel probari, quod Ecclesia & Pontifices in eo non probant. Adsunt nobis SS. Aug. & Thomas, adsunt fideles eorum interpretes Estius, Sylvius, Alvarez, Lemos, Gonetus; adsunt censuræ tum hujus, tum Duacensis Academiæ; adsunt denique Scholæ Augustinianæ, Thomisticæ, Norbertinæ, Carmelitarum Discalceatorum aliæque, è quibus abundè doceamur, doctrinam de gratiæ per se efficaci, qualis illa in Scholis Lovaniensi, Thomistica, Augustiniana, &c. traditur, inter dogmata *tuta atque inconcussa SS. Augustini & Thomæ connumerari posse.*

Ad te igitur, à quo non nihil diverteram, redeo, mi Pater, & si fortè post præmissa etiamnum opus sit, ut asseram difficultates tuas omnes, quas à me resolutas voluisti, nonni[illegible]inoso confidere fundamento, id est nonnisi falsæ huic inniti tuæ opinioni, [illegible]existimasti aliam à me tradi circa gratiam & Liberum arbitrium. doctrinam quam reipsa tenere me profiteor. brevi hîc iterum dico.

I. Falsum esse, aut doctrinam communem Scholæ Thomisticæ circà materiam de gratia & Libero arbitrio in Epistola mea ad Illust. Præfatum non rectè à me fuisse expressam, aut alienum à Schola ista sensum verbis Epistolæ istius me subjecisse.

II. Falsum esse, me tenere Systhema illud gratiæ efficacis, quod & tibi fabricare,

& mihi paginâ 15. libelli tui affingere placuit. Quo interum everso corruit totum penè tantùm quantum est difficultatum, hæreseôsq; mihi oppositarum ædificium.

III. Falsum esse, aliam à me teneri pro hoc statu gratiam per se efficacem, sive physicam præmotionem, quam qualis à Thomistis communiter tenetur.

IV. Falsum esse, aliam à me sustineri vel gratiam inefficacem, excitantem, sive sufficientem, aut aliam sub gratia efficaci me tueri libertatem, quam qualis in Scholis S. Thomæ communiter docetur.

V. Falsum esse, quod non sustineam pro omnibus mortuum esse Christum, vel non eo sensu pro illis mortuum ipsum esse, quo Schola Thomistica communiter illud docet.

VI. Falsum esse quod à te in tuis difficultatibus ostensum sit ullam à me tradi doctrinam, quæ per Constitutiones SS. PP. Innoc. X. & Alex. VII. damnata sit.

VII. Falsum esse, me umquam sustinuisse quòd ex Constitutionibus prædictis ritè intellectis, inferri possit, doctrinam de gratia & Libero arbitrio, prout illa in Scholis Lovaniensi, aliisque suprà memoratis traditur, ab Ecclesia Romana damnatam esse.

VIII. Verum tamen esse, quod sustineam ex iisdem SS. PP. Constitutionibus sinistrè intellectis, non Acatholicos dumtaxat, sed & ex Catholicis nonnullos perperam intulisse, doctrinam de gratia per se efficaci à S. Sede fuisse reprobatam.

IX. Denique verùm esse, quod aliquando asseruerim, *periculum* subesse *non infundatum*, ne quispiã è Societaete Professor qui sustinebat gratiam per se efficacem eandem esse cum gratia necessitante, eamque proinde à PP. Trid. fuisse proscriptam, aliquando inferret gratiam per se efficacem per constitutiones Pontificias esse condemnatam.

Quis enim non videat quam facilè cuipiam, hisce principiis imbuto, hæc similisve elabatur ratiocinatio.

Per Concilii Trid. Decreta, nec non per constitutiones SS. PP. Innoc. X. & Alexand. VII. damnata est omnis gratia necessitans, sed gratia per se efficax, qualis est ex. C. gratia, quam tuetur Eximius Antagonista meus est gratia necessitans ergo per Conc. Trid. decreta nec non per Constitutiones SS. PP. Innoc. X & Alex. VII. damnata est gratia per se efficax, qualis est ea, quam tuetur Eximius Antagonista meus.

Idem planè periculum, neque alteri, gratiæ, quam gratiæ per se efficaci metuebat mecum Gonetus ab iis, qui malè dictas constitutiones intelligerent. Apol. art. 1.

Aliqui nuper, inquit, *ut semper tempus novum aliquid parturit, dicere cœperunt, Jansenium à Calvino remotissimum esse (hoc autem* P. *Anatus jam pridem apertè negavit) forsitan ut viam sibi parent ad aliquid gravius, & quod longo tempore & arte eget, ut* ALIQUANDO *palam asseratur solam in Jansenio gratiam per se efficacẽ damnatam fuisse.*

Atque hæc interim, neque alia fuit animi mei sententia, quam tum, tu, tum necessarii tui, tam in Thesibus, quam in libellis toties jam vellicandam, proscindendamque censuistis, quâque asserui, *periculum* subesse *non infundatum*, ne Professor ille, contra quem tum dissertabam, *ALIQUANDO* inferret ex Constitutionibus

tionibus

tionibus SS. PP. Innocentii X. & Alexandri VII. damnatam esse gratiam per se efficacem.

Quod si nec isthæc omnia sufficere tibi videantur, ut æquitatem assertionis meæ manifestam tibi faciant; duorum hic Scriptorum verba in medium afferam, qui quod ego & Gonetus metuere nos tantum diximus, reipsa à se præstitum demonstrârunt.

Prior illorum est P. honoratus Fabri in Apologetico doctrinæ moralis Societatis tom. 1. in præfatione.

Dico, ait, eandem esse gratiam efficacem Prædeterminantium, Jansenii, & Calvini.

Posterior est P. du Bosc, in libro cui titulus, *La decouverte d'une nouvelle Heresie*, qui detectâ fronte sustinuit doctrinam de gratia per se efficaci, qualiter eâ à Thomistis traditur, hæresios damnatam esse ab Innocentio X. & Alexandro VII. Atque exhinc ortum, ut efficaciùs sibi visus sit probare non posse, Defensores Jansenii Hæreticos esse manifestos, quam quia doctrinam aut sensum Jansenii esse dicerent gratiam per se efficacem, qualiter illa docetur in Scholis S. Thomæ.

Il faut considerer, inquit, *que de puis qu'ils ont declaré, que par les sens de Jansenius, ils entendent la doctrine de la grace efficace par elle même, telle que les Thomistes l'enseignent, ce n'est plus un Heresie indirecte, mais directe, ce n'est plus nier le Droit en niant le fait auec detour, c'est nier le Droit directement & à decouvert; c'est resister en face à la decision de l'Eglise; c'est dire qu'on tienne pour Catholique la même doctrine que l'Eglise a declaré Heretique.*

Cùm igitur Professor ille sustineret variis in Thesium suarum locis; 1. quod *omnis, qui statuit gratiam supernaturalem efficacem intrinsecè, explicare illa verba Conc. Trid. non possit:* videlicet *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum potest dissentire si velit:* cum sine ulla limitatione sustineret, quod PP. Trid. definierint adversus gratiam per se efficacem: cum ibidem defenderet hanc propositionem: *PP. Trid. non modo non faverunt gratiæ per se efficaci: sed adversati sunt*: cum sustineret *non cum Ecclesia Romana, & cum Augustino sentire, sed cum Calvino, eos qui tenent gratiam per se efficacem intrinsecè.* Uno verbo, cum doceret gratiam per se efficacem intrinsecè à se confundi cum gratia necessitante; quid, amabo, in eo offensionis seu scandali fuit quod aliquando asseruerim periculum subesse non infundatum, ne Professor ille ex Constitutionibus SS.PP. Innoc. X. & Alexan. VII. minùs rectè intellectis aliquando inferret gratiam per se efficacem, atque adeò & meam, quam in Epistolâ priori & præsenti exposui, damnatam esse? An non idem subveritus est periculum Gonetus Apolog. Thomist. Articulo 8. dum scripsit: *liberiùs interdum aliqui familiaribus, aut earum partium studio conjunctis insusurrant, Thomistas in eodem luto cum Jansenio hærere, at majori arte aut dolo alii, cum toto impetu, totisque viribus in Jansenium ferri simulant, & videri volunt, obliquè, & per ejus latus Thomistas petunt & sibi viam parant, ut quod diu animo meditantur, ALIQUANDO palam faciant, & fidem non ægrè reperiant, cujus periculum toties fecerunt, Thomistas à Jansenii sententiâ nec quantum latus unguis est in diversum abire.*

An non ejusdem cum scriptoribus illis duobus fuisse mentis meritò eos asseram, qui in famoso illo memoriali Hispanico Patres Augustinianos, Dominicanos, Carmelitas Discalceatos, Canonicos Præmonstratenses, Capucinos, cum Presbyteris

teris Oratorii; Jansenismi insimulare non sunt veriti? Perquam enim manifestum est, nihil in Viris istis Religiosis reprehendi præter doctrinam de gratia per se efficaci ab illis potuisse, ob quod apud Regiam suam Majestatem suspecti redderentur.

Liquet ex his omnibus vehementer deceptum te fuisse, mi Didace, dum me damnatæ à SS. PP. Innoc. X. & Alex. VII. doctrinæ reum agere & inseparabilem Jansenii discipulum proclamare voluisti.

Egregium enim verò me Jansenii discipulum, utpote qui doctrinam Jansenii, in qua tu præcipuas erroris ejus partes collocas, doctrinam, inquam, de *indeliberatâ gratiæ delectatione* nec tenui umquam, nec teneo. Qui doctrinam, quam se non tenere profitetur Jansenius videlicet doctrinam de physicâ prædeterminatione, profiteor; qui authoris illius libros, circà quos præsens controversia potissimum versatur, numquam legi; Qui numquam vel verbo vel scripto adversus Religiosam observantiam quæ Constitutionibus Innoc. X. & Alexan. VII., quidquam commisi, qui profiteor quod articulos omnes in materia de gratia damnatos, eodem planè modò sensuque damnem ac reprobem, quo universa Schola Thomistica eos damnat ac reprobat.

Hæc si ita se habeant (uti reverà se habent) Quorsum, amabo, Difficultates tuæ omnes, quas propositas mihi voluisti? Quorsum exprobrationes, irrisiones, & improperia, quæ adversum me meique similes effudisti (de intentione tuâ nolim judicare) nisi ut schismata in Ecclesiæ gremio vel suscitentur, vel foveantur? Nisi, ut subditi contrà Superiores obmurmurando insurgant? Nisi ut sententia de gratia per se efficaci, quàm præcipuæ Academiæ, Religiosæque familiæ tamquam *claram & inconcussam SS. Aug. & Thomæ doctrinam*, alii *manifestam S. Augustini*, aut *evidenter Augustinianam* appellant *sententiam*, penitus offuscetur, & tamquam proscripta traducatur? Nisi ut Ecclesiastica disciplina, quæ per assertores gratiæ per se efficacis, Deo sermones eorũ confirmante, non parum enervetur, dum fideles obaudiunt Pastores suos tamquam suspectæ fidei idque à com-Presbyteris debuccinari? Nisi ut parentes ad Academiam Lovaniensem prædictæ gratiæ per se efficacis hactenùs propugnatricem imperterritam filios suos transmittere ultrà non audeant? Denique (quod me ingenti dolore afficit) nisi ut hâc viâ, pax unitasque Sacerdotalis, quæ Clerum inter & Patres Societatis vigere in missione nostrâ Batavo-Catholicâ deberet, penitùs turbetur, auferaturque? Præsertim dum præcedentibus superadditur duplex illa calumnia, de qua paulò infrà, quâ primùm me & Eruditissimum D. Melis insimulasti conspirationis adversus Patres Societatis initæ; deinde dixisse D. Melis asseruisti: *Si Jesuita Libelli (confutationis nempe tuæ) Auctor sit, perficiam, ut Jesuitæ omnes eliminentur totâ missione Hollandicâ.*

Hoc solum expendere hic te velim, Didace, quot horis melioribus studiis debitis? Quot laboribus? Quot impensis, in concipiendis, in conscribendis, in imprimendis, in corrigendis, in distrahendis difficultatibus à te mihi propositis parcere potuisses, si modò unius horulæ spatium familiari colloquio, amicæque cuipiam visitationi (nam longo nos locorum intervallo ab invicem sejungi non arbitror) indulgere placuisset.

Siquidem præterquam quod eâdem (si non majori) humanitate in visceribus Jesu Christi amplexus te fuissem, quam quâ nuper R. P. Jacobum de la Fontaine,

stipatum

stipatum R. P. Isaaco de Bruyn prope Collegium PP. Societatis salutavi, uti rectè in limine difficultatum tuarum meministi; sed ingenue insuper fassus fuissem, eadem illa omnia à me vel teneri vel non teneri, quæ superius professus sum à me teneri vel non teneri. Ex quo manifestè sequitur difficultatibus tuis conscribendis meritò supersedere te potuisse, saltem ad eam partem quod attinet, in qua doctrinam meam sanam, verèque Catholicam erroris Hæreseosque infundatè insimulatam voluisti.

Quin & ejusdem omninò mentis fuissem, quam in Epistola Illustrissimo Sebasteno inscriptâ exposui, videlicet, paratum me exhibere, ad quodcumque legitimum tribunal præeuntem te sequi, ibidemque ostendere, nullum esse fidei dogma, quod Ecclesia fidelibus credendum proponit, nullum quoque, esse, quod illa rejicit, quin & ego illud filiali cum reverentia verbo Dei debita recipiam, vel rejiciam. Denique promptum me esse, ad ea omnia, explicitâ fide credenda, quæ hodiedum inter Catholicos salvâ fide disceptantur, eo ipso quo constiterit illa tamquam divinâ fide credenda ab Ecclesia proponi; Atque adeo optimo jure mihi hactenus licuisse cum primævis Christicolis asserere.

Christianus est nomen meum, Catholicus cognomen.

Superest modò ut & de secundo difficultatum tuarum genere paucula quædam hic subnectamus, sive ut, (si fortè post nuperam Apologiam apud cordatos adhuc opus sit) falsam, quam adversus me & D. Melis divulgasti criminationem, efficaciter hic denuò repellam.

Status igitur controversiæ inter nos consistit potissimum in duobus. Horum primum est, an nos ambo, id est D. Melis & ego conspiraverimus in perniciem tuam & Patrum Societatis, si fortè tu, unà & Jesuita, & author fores *Confutationis libelli Anonimi &c.* alterum est, an in Congressu nostro cum D. Du Bois, Dominus Melis ira graviori correptus in hæc iisvè similia verba erupevit: *Si Jesuita libelli author sit, perficiam, ut Jesuitæ omnes eliminentur totâ missione Hollandica.*

Primum in priori tuâ ad nos datâ Epistolâ sustinuisti; verùm posteaquam in mea ad Illustrissimum Sebastenum secutus asseruissem, *falsum esse, quod vel antè, vel in, vel post congressum cum D. du Bois, ullam adversùs PP. Societatis initam conspirationem*, nullâ mei factâ mentione in difficultatibus tuis aut Epistola ad Illustrissimum Sebastenum, veluti temerariæ criminationis mihi impactæ totus oblitus, ad solum D. Melis tum in difficultatibus tuis, tum in Epistola ad Illustrissimum Sebastenum, te convertis, & obfirmata temeritate rursum renovas fictitias illas minas, quas à D. Melis tibi, tuisque Sociis, casu quo & Jesuita & Author fores libelli jam memorati, intentatas nuper divulgasti.

Sustinêre ergò etiamnum audes in scriptiunculis illis posterioribus D. Melis prædictas in te & Patres Societatis, si Jesuita tu & Author es *Confutationis* fuisse elocutum, vel saltem te hoc asserendo ne vel umbram calumniæ temeritatisve (uti scribis) incurrisse.

Memor-ne es, mi Didace, quando hæc à te scripta fuêre? tum scilicet, cum ignotum tibi minimè fuit, 1. non nisi unico Authore & teste accusationem hanc coram universo mundo te instituisse. 2. Cum scires, paratum esse utrumque nostrum jurejurando affirmare, numquam illud, aut ei æquivalens à D. Melis fuisse prolatum. 3. Cum scires D. du Bois oblato huic nostro jurejurando acquievisse. 4. Cum scires fassum illum esse, quod fieri potuerit plus aliquid à se fuisse intellectum, quam dictum à D. Melis; 5. cum scires D. du Bois in Epistola ad D. Melis data scripsisse, quod cum D. Melis, graviter conquereretur *de injuria sibi, aliisque* Hollandis illatâ, *ideo* ipse verba ejus *sic* apprehendisset, *quasi spirantia minas expulsionis Patrum Societatis è missione Hollandicâ, casu quo* &c. quæ omnia hæsitantis dubitantisque, nequaquam testis irrefragabilis, omnique exceptione majoris sunt indicia; 6. Cum scires illicitum esse, occultum proximi crimen divulgare, sub unius præsertim ejusque vacillantis, dubitantisque testimonio. 7. Cum ejus esses mentis (uti nobis significare nuper in scriptis tuis voluisti) ut nullius occultum crimen manifestare ausis, nisi præ habita ipsius Rei licentiâ, saltem interpretativâ; denique cum scires hanc tibi licentiam à D. Melis nequaquam esse concessam.

His omnibus interim nihil obstantibus in nuperis tuis difficultatibus pag. 51. loqui præsumis in hæc verba: *an vobis potius in propriâ causâ credendum sit, quam A. D. Du Bois nihil ad me.*

Ita-nè, mi Didace, nihil ad te, quod accusationem atrocem in libello publico contrà Sacerdotem fide ac moribus integrum, ex ore unius, quem fateris habere te solum, divulgaveris?

Nihil-nè tuâ interest, si fortè testis tuus, qui justas D. Melis querelas *sic* intellexit, ut putaret esse *verba quasi spirantia minas expulsionis Patrum Societatis Jesu è missione Hollandicâ*, male illas intellexerit, & tu hoc falso nixus testimonio, temerariam interim hanc contrà D. Melis criminationem quàquàversum, veluti certam & indubitatam mundo obtrudere præsumpsisti?

Nihil-nè tuâ interest, quod videri velis, nullius crimen occultum prodere, nisi habitâ prius Rei licentiâ saltem interpretativâ, & nihilominus Domino Melis minas illas atroces (licet confictas) expulsionis Patrum Societatis è missione Hollandicâ, quas ferè Oatis perfidiæ pares, & hæreticorum perfidia pejores nuperus ille & fictitius S. Aug discipulus debuccinnavit, mundo venditare non erubuisti? Verùm de his fortè latius tecum Dominus Melis, ubi coram legitimo & competente Judice, quem te minimè jactitas formidare vel spontè, vel fortè invitus comparueris.

Cavè interim, nè ridiculum illud tuum effugium de Lageâ à D. Du Bois nobis propinatâ in tui defensionem eò deducas. *Verba veritatis & sobrietatis*, mi Didace, locuti sumus. Nam ad me quod attinet, unum, illudque exiguum vini vitrum bibisse me scio, plura bibisse non scio; D. Melis duo aut ad summum tria à se sumpta recolit; atque adeò si verum est (uti pueriliter oggeris) Lagenam, quæ non ante, sed post inchoatas D. Melis querelas jussa est offerri, fuisse exhaustam, necessum est potiorem longè partem Domino Du Bois cessisse, ac proinde ipsius potius, quam testimonium nostrum vacillare ea ex parte censeri debet.

Ast, quid Lectorem nugis istis, fabulisque confictis ultra hic distineo?

Finiam itaque, & circà tertium difficultatum tuarum, personas approbatorum Epistolæ meæ concernentium genus, aliud impræsentiarum non dicam, quam ætatem illos habere, in qua, ubi innotueris, judicare queant, num aliquod petulantes tuæ adversus ipsos motæ difficultates, responsum mereantur.

Hoc interim confido, neminem illorum forè, quin visâ perbrevi hâc difficultatum à te, circà doctrinam meam oggestarum resolutione, libenter denuntiandum tibi curet, quod unus ex ipsis significari per me tibi voluit, videlicet se rectè priorem meam Epistolam approbasse, eandem denuò se approbare, atque in finem usque approbaturum, donec aliter S. Sedes definierit. Vale, mi Didace, semper memor binæ hujus sententiæ apud S. Greg.: *Si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium Fides adducitur.* L. 5. ep. 15. *Veraciter confitenti non credere, non est hæresim purgare, sed facere.* Ib. ep. 16. Imprim. J. D. CUYPER L. C. 16. Jan. 1692.

stipatum R. P. Isaaco de Bruyn prope Collegium PP. Societatis salutavi, uti rectè in limine difficultatum tuarum meministi; sed ingenuè insuper fassus fuissem, eadem illa omnia à me vel teneri vel non teneri, quæ superius professus sum à me teneri vel non teneri. Ex quo manifestè sequitur difficultatibus tuis conscribendis meritò supersedere te potuisse, saltem ad eam partem quod attinet, in qua doctrinam meam sanam, verèque Catholicam erroris Hæreseosque infundatè insimulatam voluisti.

Quin & ejusdem omninò mentis fuissem, quam in Epistola Illustrissimo Sebasteno inscriptâ exposui, videlicet, paratum me exhibere, ad quodcumque legitimum tribunal præeuntem te sequi, ibidemque ostendere, nullum esse fidei dogma, quod Ecclesia fidelibus credendum proponit, nullum quoque, esse, quod illa rejicit, quin & ego illud filiali cum reverentia verbo Dei debita recipiam, vel rejiciam. Denique promptum me esse, ad ea omnia, explicitâ fide credenda, quæ hodiedum inter Catholicos salvâ fide disceptantur, eo ipso quo constiterit illa tamquam divinâ fide credenda ab Ecclesia proponi; Atque adeò optimo jure mihi hactenùs licuisse cum primævis Christicolis asserere.

Christianus est nomen meum, Catholicus cognomen.

Superest modò ut & de secundo difficultatum tuarum genere paucula quædam hic subnectamus, sive ut, (si fortè post nuperam Apologiam apud cordatos adhuc opus sit) falsam, quam adversus me & D. Melis divulgasti criminationem, efficaciter hic denuò repellam.

Status igitur controversiæ inter nos consistit potissimum in duobus. Horum primum est, an nos ambo, id est D. Melis & ego conspiraverimus in perniciem tuam & Patrum Societatis, si fortè tu, unà & Jesuita, & author fores *Confutationis libelli Anonymi &c.* alterum est, an in Congressu nostro cum D. Du Bois, Dominus Melis ira graviori correptus in hæc iisvè similia verba erupeiit: *Si Jesuita libelli author sit, perficiam, ut Jesuitæ omnes eliminentur totâ missione Hollandica.*

Primum in priori tuâ ad nos datâ Epistolâ sustinuisti; verùm posteaquam in mea ad Illustrissimum Sebastenum secutus asseruissem, *falsum esse, quod vel antè, vel in, vel post congressum cum D. du Bois, ullam adversùs PP. Societatis inverim conspirationem*, nullâ mei factâ mentione in difficultatibus tuis aut Epistola ad Illustrissimum Sebastenum, veluti temerariæ criminationis mihi impactæ totus oblitus, ad solum D. Melis tum in difficultatibus tuis, tum in Epistola ad Illustrissimum Sebastenum, te convertis, & obfirmata temeritate rursum renovas fictitias illas minas, quas à D. Melis tibi, tuisque Sociis, casu quo & Jesuita & Author fores libelli jam memorati, intentatas nuper divulgasti.

Sustinêre ergò etiamnum audes in scriptiunculis illis posterioribus D. Melis prædictas in te & Patres Societatis, si Jesuita tu & Author es *Confutationis* fuisse elocutum, vel saltem te hoc asserendo ne vel umbram calumniæ temeritatisve (uti scribis) incurrisse.

Memor-ne es, mi Didace, quando hæc à te scripta fuêre? tum scilicet, cum ignotum tibi minimè fuit, 1. non nisi unico Authore & teste accusationem hanc coram universo mundo te instituisse. 2. Cum scires, paratum esse utrumque nostrum jurejurando affirmare, numquam illud, aut ei æquivalens à D. Melis fuisse prolatum. 3. Cum scires D. du Bois oblato huic nostro jurejurando acquievisse. 4. Cum scires fassum illum esse, quod fieri potuerit plus aliquid à se fuisse intellectum, quam dictum à D. Melis; 5. cùm scires D. du Bois in Epistola ad D. Melis data scripsisse, quod cum D. Melis, graviter conquereretur *de injuria sibi, aliisque* Hollandis illatâ, *ideo* ipse verba ejus *sic* apprehendisset, *quasi spirantia minas expulsionis Patrum Societatis e missione Hollandicâ, casu quo* &c. quæ omnia hæsitantis dubitantisque, nequaquam testis irrefragabilis, omnique exceptione majoris sunt indicia; 6. Cum scires illicitum esse, occultum proximi crimen divulgare, sub unius præsertim ejusque vacillantis, dubitantisque testimonio. 7. Cum ejus esses mentis (uti nobis significare nuper inscriptis tuis voluisti) ut nullius occultum crimen manifestare ausis, nisi præ habita ipsius Rei licentiâ, saltem interpretativâ; denique cum scires hanc tibi licentiam à D. Melis nequaquam esse concessam.

His omnibus interim nihil obstantibus in nuperis tuis difficultatibus pag. 51. loqui præsumis in hæc verba: *an vobis potius in propriâ causâ credendum sit, quam A. D. Du Bois nihil ad me.*

Ita-nè, mi Didace, nihil ad te, quod accusationem atrocem in libello publico contrà Sacerdotem fide ac moribus integrum, ex ore unius, quem fateris habere te solum, divulgaveris?

Nihil-nè tuâ interest, si fortè testis tuus, qui justas D. Melis querelas *sic* intellexit, ut putaret esse *verba quasi spirantia minas expulsionis Patrum Societatis Jesu e missione Hollandicâ*, male illas intellexerit, & tu hoc falso nixus testimonio, temerariam interim hanc contrà D. Melis criminationem quàquàversum, veluti certam & indubitatam mundo obtrudere præsumpsisti?

Nihil-nè tuâ interest, quod videri velis, nullius crimen occultum prodere, nisi habitâ prius Rei licentiâ saltem interpretativâ, & nihilominus Domino Melis minas illas atroces (licet confictas) expulsionis Patrum Societatis è missione Hollandicâ, quas ferè Oatis perfidiæ pares, & hæreticorum perfidia pejores nuperus ille & fictitius S. Aug discipulus debuccinnavit, mundo venditare non erubuisti? Verùm de his fortè latius tecum Dominus Melis, ubi coram legitimo & competente Judice, quem te minimè jactitas formidare vel spontè, vel fortè invitus comparueris.

Cavè interim, nè ridiculum illud tuum effugium de Lagenâ à D. Du Bois nobis propinatâ in tui defensionem eò deducas. *Verba veritatis & sobrietatis*, mi Didace, locuti sumus. Nam ad me quod attinet, unum, illudque exiguum vini vitrum bibisse me scio, plura bibisse non scio; D. Melis duo aut ad summum tria à se sumpta recolit; atque adeò si verum est (uti pueriliter oggeris) Lagenam, quæ non ante, sed post inchoatas D. Melis querelas jussa est offerri, fuisse exhaustam, necessum est potiorem longè partem Domino Du Bois cessisse, ac proinde ipsius potius, quam testimonium nostrum vacillare ea ex parte censeri debet.

Ast, quid Lectorem nugis istis, fabulisque confictis ultra hic distineo?

Finiam itaque, & circà tertium difficultatum tuarum, personas approbatorum Epistolæ meæ concernentium genus, aliud impræsentiarum non dicam, quam ætatem illos habere, in qua, ubi innotueris, judicare queant, num aliquod petulantes tuæ adversus ipsos moræ difficultates, responsum mereantur.

Hoc interim confido, neminem illorum fore, quin visâ perbrevi hâc difficultatum à te, circà doctrinam meam oggestarum resolutione, libenter denuntiandum tibi curet, quod unus exipsis significari per me tibi voluit, videlicet se rectè priorem meam Epistolam approbasse, eandem denuò se approbare, atque in finem usque approbaturum, donec aliter S. Sedes definierit. Vale, mi Didace, semper memor binæ hujus sententiæ apud S. Greg.: *Si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium Fides adducitur.* L. 5. ep. 15. *Veraciter confitenti non credere, non est hæresim purgare, sed facere.* Ib. ep. 16.

Imprim. J. D. CUYPER L. C. 16. Jan. 1692.